



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Nostra sententia ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quaest. I. Quid sit vnitas numerica. 275

hæc est communis sententia inter Thomistas, vt videre est in Ferrata. lib. 2. contra Genr. Sonzinate, & Caietano super 1. p. D. Thoma q. 1. & probatur sic.

7 Primo, quia vnitas numerica est ratio inferior essentialiter respectu vnitatis transcendentalis vt sic; sed vnitas transcendentalis vt sic constituitur per indiuisionem in se, & non per indiuisionem in alia, tanquam in inferiora: ergo vnitas indiuidualis, seu singularis debet constitui per indiuisionem in entitate singulari, quatenus per differentiam positivam vltimo determinatam constituitur, & non per negationem diuisionis in alia, vt in inferiora, & in partes subiectivas. Maior est certa; quia attributum, seu proprietas alicuius sequitur naturam, vel rem cuius est attributum in hoc, quod si essentia, cuius est attributum est ratio communis multis inferioribus essentialiter, etiam attributum, & proprietas illius essentiae communis est communis essentialiter omnibus attributis, seu proprietatibus inferiorum illius rationis essentialis vt sic, v. g. quia homo vt sic est superior, & communis essentialiter respectu Petri, & Pauli, & omnium singularium hominum; risibilitas vt sic, quæ est proprietas hominis vt sic, est superior, & communis essentialiter omnibus particularibus risibilitatibus; & quia ens vt sic est superior respectu omnium entium; etiam bonitas, & veritas, quæ sunt attributa entis vt sic, sunt superiores rationes respectu omnium veritatum, & bonitatum particularium, quia sicut ratio abstracta ab entibus est superior respectu omnium, à quibus abstrahitur, quæ sunt entia particularia, sic similiter ratio abstracta ab attributis particularibus est superior essentialiter respectu illorum, & ideo inter prædicabilia non solum datur ratio generica abstracta, sed etiam proprium in commune, quod participatur à cæteris proprijs: ergo similiter si ens est superior respectu omnium inferiorum omnium particularium, & singularium, & vnitas transcendentalis est attributum entis vt sic, vnitas transcendentalis erit superior essentialiter respectu omnium vnitatum singularium, quæ sunt attributa particularia indiuiduorum.

8 Minor late probata manet supra; consequentia sic probatur: quia omne constitutum superioris est constitutum inferioris contractum tamen: sed indiuisio in se vt sic est constitutum vnitatis transcendentalis, quæ superior est respectu vnitatis indiuidualis: ergo illa indiuisio contracta est constitutum vnitatis numericae, & non indiuisio in multa tanquam in inferiora, quia non constituitur per vnā rationem superius, & per aliam inferius: sed per eandem, per quam constituitur superius, constituitur inferius, particularizata tamen.

9 Quod sic declaratur, quia homo constituitur per rationalitatem in esse hominis, talis homo, v. g. Socrates non constituitur essentialiter per brutalitatem, sed potius per eandem rationalitatem, contractam tamen, & quia color vt sic constituitur in suo esse per qualitatem, non constituitur albedo quæ est talis color per quantitatem, vel ubi, sed per qualitatem contractam; sed vnitas vt sic constituitur per negationem diuisionis in se: ergo talis vnitas numerica videlicet, quæ est inferior respectu vnitatis vt sic, debet constitui non per indiuisionem in multa inferiora, sed per negationem diuisionis in natura numerica, & singulari; nam sicut negatio in esse vt sic diuisionis

A. P. Ioseph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

est constitutum vnitatis vt sic realis, talis negatio diuisionis in esse hoc est in esse singulari, & indiuiduo constituit singulare in esse vnus.

Et ratio à priori est; quia secundum illud axiomā; dici de omni, &c. quiddam est de essentia superioris, & non aliud disparatum, & diversum, est de essentia inferioris; sed de essentia vnitatis realis vt sic transcendentalis, quæ superior est ad vnitatem realem numericam, est indiuisio in entitate vt sic: ergo de ratione vnitatis numericae est indiuisio in tali entitate singulari scilicet; unde non constituitur per aliam indiuisionem disparatam, aut diversam respectu indiuisionis in se, quæ est indiuisio in multa inferiora, quæ absque dubio disparata indicatur respectu indiuisionis in se, & diversa ab illa: ergo si vnitas vt sic realis non constituitur per indiuisionem vt sic in alia, talis vnitas non constituitur per talem indiuisionem in alia, sed per talem indiuisionem in se, quia sicut se habet indiuisio vt sic in se respectu entis vt sic, sic se habet talis indiuisio in se singularis respectu entis singularis: ergo si indiuisio vt sic in se constituit ens in esse vnus realis vt sic, talis indiuisio in se singularis realis constituit ens singulare in esse vnus indiuidui, & singularis realis.

Declaratur; quia vnitas numerica est attributum entis singularis; sicut vnitas transcendentalis vt sic est attributum entis vt sic; sed attributum particulare constituitur per rationem communem talis attributi, vt videre est in veritate, & vnitate particulari singularibus, quæ constituuntur per amabilitatem, & intelligibilitatem particularem contrahendo amabilitatem, & intelligibilitatem vt sic, per quam constituuntur veritas, & bonitas, quæ sunt attributa entis vt sic: itaque sicut attributa illa entis constituuntur per aptitudinem vt intelligatur, & per aptitudinem logicam vt ametur; ita similiter singularis bonitas, & veritas constituuntur per singularem aptitudinem vt intelligatur, & per indiuiduam, & numericam aptitudinem, vt ametur; in quo omnes conveniunt, quia vt dixi, per eandem rationem formalem, per quam constituitur ratio superior, debet constitui ratio inferior: dum tamen particularizetur illa, & contrahatur: ergo vnitas numerica constituitur per eandem rationem formalem, per quam constituitur vnitas vt sic, quæ est attributum entis, dum tamen illa ratio formalis contrahatur ad entitatem singularem: sed ratio formalis constitutiva vnitatis vt sic realis est indiuisio in entitate vt sic reali: ergo indiuisio in entitate singulari constituit formaliter vnitatem singularem, & non constituit ipsam vnitatis indiuisio in multa inferiora.

Confirmatur; quia indiuisio vt sic in se, & indiuisio in multa vt sic sunt duæ indiuisiones distinctæ, & diversæ rationis, quæ non se habent tanquam superior, & inferior, sed tanquam duæ rationes superiores disparatæ; ita vt sub indiuisione in se vt sic contineantur omnes particulares indiuisiones in se, & sub indiuisione in multa vt sic omnes indiuisiones particulares in multa; sed indiuisio vt sic in se, & non indiuisio vt sic in multa inferiora constituit vnum vt sic reale: ergo talis indiuisio in se, & non indiuisio in multa, nec talis indiuisio in multa inferiora constituit talem vnitatem singularem realem, quæ sit inferior vnitatis vt sic realis. Maior est evidens primo; quia secunda indiuisio vocatur, & est in sententia Authorum indiuisio à se, vt superioribus

M m 2 quæstio

questionibus ex doctrina Gillij, Valentia, & Fonseca vidimus; prima autem a nemine dicitur indivisio à se, sed potius vocatur indivisio in se, & distinguitur à diviso à se.

13 Secundo, quia prima in se, & respectu sui tota concipitur, & consummatur adhuc secundum suam essentiam, & extra omnium inferiorum rationem, si metaphysice, & quidditative concipitur; secunda autem necessario consideratur in ordine ad alia, scilicet inferiora, & ideo concipitur necessario respectu superioritatis, & in ordine ad superiora, & inferiora; prima autem sine aliquo ordine ad illa. Denique prima est inter partes quasi integrantes, secunda inter partes subiectivas: ergo sunt duæ indivisiones vt sic distinctæ, diversæ, & disparatæ.

14 Minor illa iam supra probata manet, consequentia est evidens; quia vt supra diximus, quando vna ratio superior constituit essentialiter superior alterius inferioris, illud inferior neque constituitur alio disparato respectu constitutivi superioris, nec aliquo inferiori contento sub illo disparato, & distincto, sed potius per rationem superiorem constituentem suum superius, addendo solum differentiam proportionatam tali inferiori; sed unitas vt sic transcendentalis constituitur per indivisionem in se; item unitas formalis vt sic constituitur in suo esse formali per indivisionem in formali esse, & unitas formalis est superior respectu unitatis individualis: ergo talis unitas numerica inferior illis, non debet constitui indivisione à se vt sic, vel in inferiora, quæ est disparata, & distincta respectu indivisionis vt sic in se, nec per aliquam indivisionem à se particularem, sed per talem indivisionem in se singularem; quod sic illustratur exemplis: unitas realis essentialis, sive sit substantiæ, sive corporis, sive viventis, sive hominis, si vt essentialis realis, & quatenus talis secundum se metaphysice sumatur, constituitur in esse talis per indivisionem in se, homo enim ideo vnus essentialiter dicitur, quia est indivisus in esse hominis, & ratio est, quia illa unitas corporis, & hominis, quæ unitates essentielles sunt, constituuntur indivisionibus in seipsis, quia sunt tales unitates subiectæ respectu unitatis vt sic, unde eadem indivisione debent constitui, ac unitas vt sic; sed unitas numerica est talis unitas subiecta, & inferior essentialiter respectu unitatis vt sic: ergo si unitas vt sic constituitur indivisione vt sic, in se talis unitas constituitur tali indivisione in se, hoc est in entitate singulari.

15 Declaratur amplius, quia hæc unitas essentialis est indifferens unitati numerica, & communi, ita vt in communi natura, & cum communi unitate conservetur, licet communis natura sit divisibilis in multa, & licet illa natura communis corrumpatur in contractione, quia dividitur vt multi afferunt, non corrumpitur unitas essentialis licet detur illa divisio in multa: ergo divisio in multa, & unitas realis, & essentialis non opponuntur inter se, quia si opponeretur non posset conservari illa unitas essentialis cum illa divisione, vel divisibilitate in multa: ergo illa unitas essentialis realis non constituitur indivisione in multa; atqui illa unitas essentialis respectu essentialis se habet sicut unitas individualis respectu individualis: ergo unitas individualis non constituitur per indivisionem in alia, sed per indivisionem in se singulariter, hoc est in entitate singulari.

16 Confirmatur totum, & argumentor ad hominem,

quia vt adversarij asserunt, rationes magis & minus communes debent servare proportionem inter se in constitutione unitatum: sed ratio communis unitatis transcendentalis constituitur negatione divisionis in se, & non divisionis in alia: ergo ratio particularis unitatis, vt habeat proportionem cum superiori debet constitui negatione particulari divisionis in se, hoc est in entitate particulari. Maior nihil aliud continet, quam verba ipsa Adversariorum. Minor supra probata manet; consequentia patet, quia proportio, quæ debet dari inter universale, & particulare Metaphysice sumpta, id est secundum suam essentiam de qua sola agit Metaphysica est, quod sicut ratio superior constituitur tali constitutivo, vt sic, ratio particularis constituitur eodem constitutivo, vt supra diximus particularisato, & non alio diverso, ac disparato; nam si animal vt sic constituitur gradu viventis, tale animal, v. g. homo, Petrus, vel Paulus non possunt constitui gradu lapidis, vel non viventis, sed gradu essentialiter vitæ eodem contracto tamen, per differentiam hominis Petri, & Pauli, & ratio evidens à priori est, quia quidquid est de essentia superioris, idem est de essentia omnium inferiorum, secundum illud axioma, dici de omni, nam idem rationale quod constituit hominem vt sic, constituit essentialiter etiam Petrum, & Paulum contractum tamen per differentiam eorum, & ideo dicitur in Logica, Universale quod est differentia, non solum prædicari de specie quam constituit, sed etiam de inferioribus specie: sed unitas transcendentalis vt sic, est ratio communis, & superior essentialiter: ergo ad hoc vt unitas particularis habeat proportionem cum unitate sibi superiori, debet constitui eadem indivisione contracta: ergo si unitas transcendentalis, vt sic constituitur indivisione in se, id est in entitate vt sic, unitas singularis seu numerica constituitur necessario per indivisionem contractam ad talem unitatem, hoc est per indivisionem in entitate singulari, & non per aliam distinctam, & disparatam respectu illius, sicut quia unitas essentialis, seu formalis est inferior respectu unitatis transcendentalis vt sic, constituitur in esse unitatis essentialis per indivisionem in essentia, hoc est in suo esse formali, vt proportionem dictam habeat cum suo superiori cum unitate nimirum transcendentali, quæ constituitur, vt diximus per indivisionem in esse transcendentalis, vt sic: ergo si in unitate individuali datur eadem ratio inferioritatis, & in unitate transcendentali datur eadem ratio formalis superioritatis, vt observet unitas numerica proportionem cum unitate transcendentali, vt sic, quæ est superior respectu illius, debet eadem indivisione, quæ unitas transcendentalis constituitur contracta tamen constitui: atqui unitas transcendentalis constituitur divisione in se, hoc est, in entitate vt sic: ergo unitas individualis, debet constitui indivisione in se, id est in entitate singulari, ratione cuius contrahitur ad singularem indivisionem.

Secundo, probatur principaliter, quia impossibile est quod vnum oppositum formaliter, vt oppositum illius sit ens reale: sed communicabile, vt communicabile, multis inferioribus communicabilitate universalis est ens rationis: ergo incommunicabile, quod est albedo oppositum, non poterit esse ens realis, sed rationis: atqui unitas numerica, & individualis est ens reale, vere à parte rei existens, ergo non potest constitui per illam incomm

Quæst. I. Quid sit vnitas numerica. 277

incommunicabilitatem, quæ ens rationis est, vt supra probauimus. Maior est clara primo in oppositione relativa, v. g. quia in sententia communi omnium, & quam tuerentur etiam aduersarij, vniuersale, quatenus superius plurimum, est ens rationis, id est dicitur relationem rationis superioritatis ad singularia, etiam singularia, vt inferiora formaliter sunt entia rationis, quare vt talia, non possunt dicere relationem realem inferioritatis ad vniuersale, vt superius, sed necessario dicunt ordinem rationis ad illud, quia si est ficta superioritas, etiam inferioritas illi opposita debet esse ficta: item in oppositione contraria non minus patet, nam oppositio, quam dicit albedo in chimæra est ficta ad nigredinem in tragelapho, vel hircocifero, similiter est ficta oppositio, quam dicit nigredo existens in hircocifero, respectu albedinis existentis in chimæra vel aliter, quia oppositio quam dicit albedo realis ad nigredinem fictam in chimæra, nullus dicit esse realem, alias si esset realis daretur relatio realis prædicamentalis ex hoc albo ad chimæram nigram; patet consequentia, quia omnis oppositio actualis completur per relationem prædicamentalem, quia omne oppositum non est ad se, sed ad aliud, idem enim sibi ipsi minime opponitur, sed omne ad aliud, eo modo quoad aliud est, est relativum.

Item quia illa quæ sunt incapacia expellendi se realiter ab eodem subiecto, sunt incapacia oppositionis realis, quia illa oppositio in tantum dicitur talis in actu primo, in quantum actus secundus illius oppositionis, qui actualis expulsiō est media existentia in eodem subiecto realiter possibilis est: sed impossibile est, quod vere existat nigredo chimære in homine albo realiter, cum sit ens rationis, nec quod albedo hominis existat vere in chimæra: ergo impossibile est expulsio illorum inter se vere, & realiter ab eodem subiecto reali, quæ est actus secundus oppositionis vere, & realis contrariorum: ergo erit etiam impossibilis actus primus talis oppositionis.

De oppositione negativa etiam patet ex dictis, quia ideo oppositio relativa, & contraria inter ens reale, & ens rationis, quia oppositio realis petit necessario duo extrema tanquam causæ sui: ergo quando vtrumque extremum non est ens reale, nec oppositio inter vtrumque extremum potest esse realis, quia si esset realis, esset absolute bona, reale enim comparatum cum ente rationis est bonum, & perfectum, & ens rationis est malum, & imperfectum: sed bonum ex Divo Dionysio debet esse ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu: ergo ens reale, vt tale sit si quidem est bonum, & adæquate convertitur cum illo, debet esse tale ex omni causa sui, & vt sit rationis sufficit vt sic ex quocunque defectu: sed oppositio realis est ens reale: ergo vt sit oppositio realis debet esse ex omni extremo reali: atqui oppositio quæ datur inter vnum extremum reale, & alterum rationis non est ex omni causa realis, sed solum ex vna causa, & ex altera rationis: ergo potius est oppositio rationis, quam oppositio realis.

Præterea, quia vt supra quæst. 3. superioris disputauimus, eo modo est negatio, quo est forma positiva, cuius immediata negatio est, sed incommunicabilitas in inferiora est negatio, cuius positiva forma est communicabilitas vniuersalis, seu vniuersalitas, quæ est ens rationis formaliter: ergo hæc negatio, quæ incommunicabi-

litas est, erit etiam ens rationis, supposita maiori totum hoc argumentum euidenter concludit. Maior iam late probata manet supra, & hac inductione probatur, quia carentia substantiæ substantialis dicitur, & carentia accidentis accidentalis appellatur clarius in sententia aduersariorum carentia, quam dicit homo brutalitatis equi, quia brutalitas prædicatum essentialiter est, hæc negatio essentialis est hominis, cum talis negatio brutalitatis pertineat intrinsece ad distinctionem, & constitutionem essentialem hominis: ergo carentia entis rationis eiusdem ordinis erit cum ente rationis: ergo est carentia seu negatio rationis.

Et ratio euidentis est, quia tota ratio essentialis negationis sumitur in ordine ad formam, cuius negatio, & carentia est, & ideo vna negatio distinguitur ab alia essentialiter, vt v. g. cæcitas à tenebris per ordinem ad formam negatam, quod patet in hoc exemplo, nam ideo negatio inferioritatis ad genus in Deo negatio est rationis, quia inferioritas in Deo respectu generis rationis est, quod etiam patet in negatione vniuersis in Deo ad componendam vnam essentialiter chimæricam cum homine, Angelo, & leone, quæ etiam ens rationis est, & non propter aliam rationem, nisi quia formæ positivæ quantum sunt negationes, sunt entia rationis; sed communicabilitas ad multa inferiora est forma positiva rationis: ergo incommunicabilitas ad illa quæ est negatio communicabilitatis erit negatio rationis: tunc sic vnitas numerica, est vnitas realis à parte rei: sed ens reale non potest constitui essentialiter ente rationis, quia iam ens reale esset ens reale, & non esset reale vt supra probauimus: ergo vnitas numerica non potest constitui in esse vnitatis numerice, & communicabilitate, quæ est ens rationis.

Vltimo sic probatur, quia absolutum vt absolutum est prius relativo, sed negatio divisionis in se est absoluta, & negatio divisionis in alia est ad modum relativi: ergo prior est in individuo negatio divisionis in se, quam negatio divisionis in alia. Maior est euidentis, quia absolutum vt absolutum est fundamentum relativi, vt substantia Petri est prior relatione identitatis, & diuersitatis, & albedo est prior relatione similitudinis, & hoc, vel virtualiter, vel formaliter in omnium sententia, quia fundamentum, vt fundamentum est causa relationis: præterea, quia absolutum est ad se, & relativum vt relativum est ad aliud: sed prius est esse ad se, quam ad aliud vt supra probauimus: ergo prius est esse absolutum quam esse relativum. Minor quoad primam partem clara est, nam divisio in se solum vnum subiectum requirit, ita vt licet esset impossibile aliud in se esset indivisum, quia indivisum est in ordine ad se, v. g. Deus indivisus est simpliciter in esse Dei, licet alius Deus sit impossibilis, sicut etiam si esset diuisus in se per impossibile, etiam si alius Deus esset impossibilis proprie diuisus in se diceretur, id est diuisus in partes Dei, quod aliter contingit in diuisione, vel diuisione in ordine ad multa inferiora: vnde ad hoc vt Deus esset diuisus in multa, necessario requirerentur alij dii, in quos deberet dividi: vnde si esset diuisibilitas in alia petit alia in ordine, ad quæ dividatur, ita etiam indivisibilitas connotat alia, in ordine ad quæ non potest dividi, omnis enim negatio petit alia in ordine ad quæ sit, in quo conuenit negatio cum relatione, nam sicut relatio petit necessario aliud ad quod respiciat, & sine quo

non potest intelligi talis relatio, sic similiter negatio petit aliud quod negat, sine quo non potest intelligi in esse negationis.

23 Quoad secundam partem sic probatur, quia illud est relativum, & ad modum relativi, quod necessario concipitur in ordine ad aliud, relativum enim ad aliud est: sed incommunicabilitas, quæ negatio divisionis entis in alia est negatio entis superioris in ordine ad inferiora, ut distincta, & alia: ergo est negatio unius in ordine ad alia: ergo talis negatio est ad modum relationis, ut iam nuper explicuimus ante probationem secundæ partis; tunc sic, sed illa indivisio in se est constitutum unitatis eo modo, quo fuerit, ita ut indivisio in ente ut sic, sit unitas transcendentalis indivisio in essentia unitas essentialis: ergo indivisio in singularitate, & in entitate numerica, erit unitas numerica, & singularis, quia non est maior ratio illarum ad constituendam unitatem singularem, quod hoc exemplo evidenter declaratur, quia albedo ut sic, in subiecto ut sic, constituit album ut sic, & albedo in leone constituit leonem album, & in homine hominem album, necessario dicendum est quod albedo in tali homine singulari constituit necessario tale album singulare: ergo si indivisio in se ut sic, id est in entitate ut sic, constituit unum ut sic realiter, & indivisio in essentia, unum essentialiter: ergo necessario dicendum est in divisionem talem, hoc est in entitate singulari constituere unum tale singulare, quia in omnibus tenet exemplum, & non potest dari discrimen in tali subiecto ad constituendum tale album, supposito quod albedo in subiecto ut sic, constituit album ut sic, & inter talem indivisionem ad constituendum tale unum singulare, supposito quod indivisio in ente ut sic constituit unum ut sic: ergo antequam adveniat indivisio in alia, quæ relativa, vel ad modum relative est, constituetur singulare per illam primam indivisionem in esse unius realiter singularis: unde secunda non constituit in esse unius realiter sed in esse unius. Secundo intentionaliter, id est in esse unius inferioris respectu universalis, ita ut sicut per indivisionem in essentia constituitur homo in esse unius hominis realiter, & per communicabilitatem indivisam constituitur in esse unius universalis, seu secundo intentionaliter post primam constitutionem; sic singulare constituitur in esse unius realiter per indivisionem in entitate singulari, & secundo intentionaliter in esse inferioris constituetur per incommunicabilitatem ad multa, post primam constitutionem.

24 Confirmatur, quia in opposito singularis, prius est esse ens reale ut sic, & ens reale essentialiter, v.g. in homine, prius est esse ens realiter, & esse hominem, quam esse communicabile multis, communicabilitas enim fundatur in entitate, sive in gradu entis transcendenti, sive in essentia hominis, & etiam, quia illud absolutum est, & hoc relativum, & illi entitati prius convenit indivisibilitas in se quam communicabilitas ad inferiora, quia illa indivisio in se immediate est in ente, & immediate sequitur ad ipsum per quam in illo priori ante communicabilitatem rationis, & ut solet dici in statu pure præcisivo fit homo unum ens transcendentaliter, & unus homo essentialiter, & postea advenit illi in statu comparativo communicabilitas ad multa: ergo in individuo prius est esse tale ens, quam esse incommunicabi-

le, quia incommunicabilitas fundatur in tali entitate singulari, quia est privatio communicabilitatis, & omnis privatio debet sequi aliquid positivum, cum quo connectitur, ut supra contra Sonzinatem demonstravimus *disp. 2. quest. Quomodo contrahatur ens*: sed illa privatio non sequitur, nec connectitur cum ente, ut sic in Petro, nec cum gradu hominis in ipso, quia nec ens, nec homo sunt incommunicabiles: ergo necessario fundatur in entitate singulari illa incommunicabilitas, & non in entitate singulari divisa, quia incommunicabile ut tale, est per unam privationem: sed una privatio non fundatur in multis divisis, sed in entitate una, & indivisa, v.g. una cæcitas non fundatur in duobus oculis, sed in uno, & indiviso esse: ergo illa incommunicabilitas fundatur in entitate singulari indivisa, unde in entitate singulari una: ergo ante incommunicabilitatem præsupponitur unitas numerica singularis.

Præterea, quia illa negatio indivisionis in se, id est in entitate singulari sequitur immediate ad tale ens ut sic singulari, sicut negatio divisionis in se ut sic, ad ens ut sic, quia ens ut sic quatenus in ordine ad se sicut primo petit ens, & primo taleitatem positivam entis, ita primo indivisum esse, in suo esse ante quancumque rationem in ordine ad aliud: ergo ante incommunicabilitatem in ordine ad inferiora.

Ultimo principaliter probatur, quia privatio debet esse, & cognosci adæquate in ordine ad formam: sed hæc privatio, quæ incommunicabilitas est, est in ordine ad communicabilitatem, est carentia, seu negatio communicabilitatis: ergo debet cognosci in ordine ad communicabilitatem: sed communicabilitas, quia relativa est, præsupponit totum esse entis absolutum tam negativum, quam privativum, id est indivisionem in ente ut sic: ergo incommunicabilitas, quæ totum suum esse habet in ordine ad communicabilitatem, tanquam negatio illius, & quæ est ad modum relative rationis, debet præsupponi in suo subiecto, tam absolutum positivum, quam privativum, unde, & negationem divisionis in se, quod sic efficaciter convincitur.

Quia eo modo contrahitur res in inferiori, quo ordine est in superiori, v.g. in homine, ubi prius est esse ens, quam substantia; & clarius, prius est essentia, quam proprietas in inferiori: exempli causa, Petro prius contrahitur ratio essentia, & postea proprietas risibilitatis, sed in ente est ratio prius entis, cum sua indivisione in se, & postea communicabilitas entis: ergo in entitate singulari prius est esse tale ens, & tale ens indivisum in se, & postea incommunicabilitas talis entis, sed ex vi taleitatis supra ens, vel singularitatis fit ens singulare: ergo ex vi indivisionis supra singularitatem fiet unum singulare, sicut ex vi indivisionis supra essentiam fit unum essentialiter, & ex vi indivisionis supra ens transcendens, unum transcendentaliter: ergo incommunicabilitas, quæ post indivisionem singularem advenit, non constituitur in esse unius indivisi realiter.

Confirmatur, quia sicut communicabilitas ut sic supponit aliquid ens unum, sive essentialiter, sive transcendentaliter, cuius fit, & ad quod sequatur, ita incommunicabilitas quæ est opposita communicabilitati; oppositorum enim eadem est disciplina, & ratio debet supponere aliquid ens cuius

Quæst. I. Quid sit Vnitas numerica. 279

cuius sit, & ad quod sequatur, sed non sequitur ad ens ut sic; ergo sequitur ad tale ens, id est singulare; ergo non constituitur singulare per incommunicabilitatem.

³⁰ Dices ordinem superioris, & inferioris debere conformari in his, quæ sunt in superiori, & contrahuntur ad inferius; non in his, quæ non sunt in superiori, & quæ sunt opposita privativa his quæ in superiori sunt, v. g. incommunicabilitas.

³¹ Contra, quia in inferiori non solum sunt eodem ordine ac in superiori prædicata positiva, sed etiam eodem ordine est negatio in inferiori quo erat forma negata in superiori, nam v. g. quia prius est in homine ut sic, realitas, quam risibilitas, & si supernaturaliter tolleretur in Petro risibilitas quæ concipitur in homine, ut sic, privatio risibilitatis non esset prius in Petro, quam rationalitas, imo necessario esset posterius, quia privatio regulatur, & est eodem ordine in subiecto, quo erat forma in superiori, quia semper privatio ubique est, mensuratur cum forma, cuius privatio est, & negatio cum forma quam negat, scilicet cum forma, quæ per impossibile deberet esse in illo subiecto, in cœlo enim prius est negatio hominis, quia est ex vi suæ essentiae, quam negatio coloris cerulei, vel albi, licet veritas forma impossibilis est cœlo, quia per impossibile prius esset homo cœlum, quam albus homo; ergo prius debet esse in cœlo negatio hominis, quam negatio albedinis, clarius hoc convincitur, quia prius datur in homine esse animal rationale, quam esse speciei in Petro prius datur esse tale animal, quam esse inferius subiectibile speciei, & quam negatio essendi superius, & negatio essendi speciei propter eandem rationem dictam, sed in superiori prius est esse ens indivisum in se, quam esse communicabile: ergo prius est in singulari ente esse tale ens indivisum in sua entitate singulari, quam incommunicabilitas, siquidem incommunicabilitas, quæ est negatio communicabilitatis debet in ordine essendi in inferiori totaliter regulari cum modo essendi in superiori formæ positivæ communicabilitatis.

³² Tandem probatur hoc omnibus argumentis, quibus nostra conclusio probata manet *disput. 3. quæst. vbi* interrogatur quæ sit hæc negatio, præcipue a §. *Confirmatur, quia eo modo est*, & c. usque ad finem.

SECTIO VLTIMA.

Solvuntur Argumenta.

³³ Ad locum Arist. Respondetur nihil contra nos ibi dixisse Philosophum, nam de singulari tantum dicit esse vnum numero, & cum vnitas in sententia Arist. posita sit in indivisione in se etiam talis vnitas, scilicet numerica consistit in indivisione in entitate numerica, ibi enim nihil dicit, nec mentionem facit communicabilitatis, imo ex eodem loco colligitur vnitatem numericam non constitui tali negatione, quæ ab adversarijs ponitur, nam sicut ex eo quod universale constituitur communicabilitate ad multa, & ideo Aristoteles ibi universale esse in his dicit, id est incommunicabile ad multa, sic similiter diceret singulare esse incommunicabile, vel non in his, qui nihil dixit de hac incommunicabilitate, sed tantum esse vnum numero: ergo

ex sententia Aristotelis vnum numero non constituitur per incommunicabilitatem, sed constituitur per illam rationem formalem per quam constituitur vnum ut sic, & vnum essentiale contractam tamen.

Ad exemplum adductum negamus vnitatem humanitatis esse communem secundum se, & metaphysice pure realiter sumptam, sic enim solum continet vnitatem formalem, & essentialem, & ideo dixit Divus Thomas humanitatem secundum se, nec esse vnam vniversaliter, nec plures, id est, nec essentialiter includere individuationem, nec includere communitatem, sed tantum prædicata essentialia, ut negationem divisionis in illis.

Ad ultimam partem etiam negamus humanitatem Christi esse singularem realiter, quia est incommunicabilis, sed quia constituitur per ultimo detractam, & aromam differentiam positivam, in qua secundum ultimum, & expressum conceptum illius nulla datur convenientia à parte rei cum alio, & hæc vocatur à Scoto hæc ceitas, de qua dicemus nunc, nec humanitas Christi, dicitur vna numero, & singularis, quia est indivisibilis in multa, sed quia est indivisa in illo esse constituto per ultimam differentiam hæc ceitatis.

Ad confirmationem respondetur distinguendo illam primo intentionaliter, & realiter nego, de quo nunc querimus; secundo intentionaliter concedo, & ut est oppositum, & inferius vniversalis, & in hoc sensu non est maior ratio in vniversalis, quam in singulari, ac proinde in hac ratione datur proportio; in vnitate autem reali minime, quia vniversale ut communicabile est ens rationis.

Ad secundum respondetur distinguendo; opponuntur prima intentionaliter, nego; secundo intentionaliter, concedo; & sic eo modo, quo opponuntur, constituantur per secundas intentiones communicabilitatis; cum autem secundo intentionaliter non opponantur, ideo singulare non constituitur per incommunicabilitatem, quia incommunicabilitas ens rationis est, & ens reale ut est vnum numero in esse vnus numero non potest constitui per ens rationis.

QVÆSTIO II.

Verum collectio accidentium sit principium individuationis?

SECTIO I.

Sententia Adversaria ponitur.

PRIMA sententia, quam refert Scotus in 2. dist. 3. q. 3. asserit principium individuationis esse collectionem omnium accidentium, quæ invenitur in quolibet individuo.

Probatur primo ex Porphyrio capite de Specie, ita definiente individuum substantiale individuum est, cuius collectio proprietatum, quæ in vno reperitur, in alio reperiri non potest: ergo collectio accidentium est principium individuationis.